vehementer, vel violenter suspectus. Et hoc alias latiori sermone declaravimus, nunc summatim repetatur. Itaqve *suspicio levis* provenit ex signis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis accipitur conjectura, quâ concludi potest non qvidem freqventer, sed rarò seu contingenter, ut in paucioribus, qvod talia agens vel dicens est hæreticus. Itaqve consequentia levis est & Topica, sicut arguetemus: Petrus non venit ad Ecclesiam in solennitate Nativitatis Beatæ Mariæ virginis: Ergo non bene sentit de ea. Vel sic: Petrus assumit nomen Dei freqventer in vanum, dejerans & negans eum, ergo non bene credit de eo.

Porro *vehemens suspicio* provenit ex signis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis accipitur argumentum, concludens freqventer & ut in pluribus, qvod talia agens vel dicens est hæreticus. Ut si qvis neget explicite, palam & publicè ea, qvæ debet ex officio scire plus quam alii. Quamvis possit in rei veritate negatio talis ex ignorantia provenire, vel animi levitate, non ex hæretica pravitate.

Dicimus demum, *suspicionem* esse *violentam*, qvæ sumitur ex signis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis concludi solet efficaciter & ut semper, qvod talia agens vel dicens est hæreticus. Qvemadmodum si qvis prædicet publicè, qvod Christus non fuit verus Deus, qvod Deus non est diligendus super omnia, qvod licitum est passim homines occidere sicut bestias, qvod juramenta non sunt tenenda, aut si patenter adoret sepulchrum Machometi, vel si deferat habitum Judæis appropriatum, non qvidem joco faciens hoc sed serio. Constat nempe qvod possibile est talia facientem vel agentem tenere veraciter interius fidem Catholicam, sicut de Salomone idolatrante, & de Marcellino idolis sacrificante, dicunt multi, qvod neuter eorum fuit hæreticus in mente. Nihilominus Ecclesia de exterioribus judicans non de occultis arguet in talibus violentam præsumtionem & secundum eam feret judicium. Exemplo Salomonis de meretricibus. 3. *Reg.* 3. Et hoc, nisi talis *violenter suspectus* se legitimè purgaverit, allegando vel ignorantiam, vel timorem, vel fictionem, vel aliqvid hujusmodi, paratum corrigi se demonstrans.

Quocirca patet, valere plurimum circa suspiciones hujusmodi adsumendas pro argumentis considerare *consvetudines patriarum, locorum, temporum, personarum, modos & judicia.* Evenit qvippe, qvod verbum unum dabit suspicionem hæresis in uno loco vel in una persona, qvod in alio loco vel persona nihil reputabitur. Exemplum de negantibus & despicientibus Deum qvotidianis verbis, in certis partibus, qvod in aliis partibus multis horridum judicaretur, & hæresi proximum.

Has interim *considerationes duodecim*, posuisse velut in transcursu suffecerit 29. *mensis Octobris, anni* 1415. *in civitate Constantiensi, ubi sacrum* agebatur *generale Concilium*, præstante eo, qvi est Deus benedictus in secula. Amen.

TOMI III. PARS V.

DE REBUS HIERONYMI PRAGENSIS.

LEgerat Hieronymus Pragensis *Gersonis de Revocatione Disputationem.* Conscientiam suam non solùm à Concilii patribus, amicis, hostibus, sed præcipue *Bohemis*, Hussi rogo inflammatis, novoque zelo accensis, vellicari & magis magisque uri senserat. Quapropter diu se continere haud sustinuit, quin Hussi flammis pectus suum incaluisse palam testaretur, qui uno iterum cum Husso loqueretur ore. Sic animo sumpto recantationem suam nuper factam publice damnavit, magno æstu ad Hussi ustrinam adspirans. Quas vicissitudines vel oris vel pectoris vel fortunæ delineavit *Theodericus Vrie in Historia Concilii Const.* supra *Tomo I. Parte I. f.* 182. *seq.* Plenius de his infra *Tomo IV.* Audiendus hic lauda-


HIERONYMUS PRAGENSIS,
BOHEMUS,
THEOLOGUS IN ACADEMIA PRAGENSI
IN VARIIS GALLIÆ ET GERMANIÆ ACADEMIIS
VERSATUS, INGENIO, DOCTRINA ET ELOQUENTIA
CLARUS, CREMATUS IN CONCILIO CONSTANTIENSI,
d. 30 Maij. Anno 1416

laudatus aliàs *Episcopus Laudensis*, qui ut antea in funere Hussi, ita & nunc Hieronymi, coram Concilio oravit.

CAP. I.

JACOBI, Episcopi Laudensis, Publica ORATIO In Supplicium Hieronymi Pragensis,

Absente Cæsare, in Constantiensi Concilio A. 1416. d. 30. Maji habita,

Ex *antiquissimis Codicibus MSCtis Cæsareo, Vindobonensi, Parte IV. Act. C.C f.89. & Ducali Brunsvicensi. Act. C.C. f.87.*

IN *nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Amen.* Supremæ TRINITATIS nomine invocato, pro præsenti proposito occurrit mihi thema meritò proponendum, videlicet: *Exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis. Marc. ult. c. & in Evangelio occurrentis Octavæ.*

Reverendissimi Patres & orthodoxi Domini, ceteri quoque *fideles & catholici.* Quoniam, teste *Aurelio Augustino*, perversis & obstinatis hominibus non levia verba, sed magis aspera objicienda sunt: Quoniam sæpius contingit, ut ubi lenis correptio (*MSC. Br.* correctio) spernitur, acris, aut acerba prolata (*MSC. Br.* plaga) majori attentione suscipiatur: Ideò, qui blando verbo non corripitur, necesse est, ut acrius arguatur. Cum dolore quidem abscindenda sunt, (*in MSC. Br.* vulnera) quæ leniter sanari non possunt, inquit *Isidorus de summo bono.* Certè sic videmus, quòd gravissimus nodus in ligno nequit expelli, nisi gravissimo oppressorio, testatur *Ambrosius.* Ubi namq; fuerit pestilentior morbus, (*MSC. Br.* pestilentia morbi) oportet medelam apponere fortiorem, & majus vulnus cautiori (arctiori) est ligamine constringendum. Durior quoque ferri materia, dum ad formam non facilè flectitur, opportunum est, ut ei acrioris flammæ incendium & grossioris mallei tunsio adhibeatur.

Propterea, *Hieronyme*, visa tua obstinatione diutinâ, attentâ pertinaci contumaciâ, & *auditâ tua ultimâ responsione* tàm improba, certè possum tibi dicere illud, quod scribitur *Esa. XLVII. Scivi, quod durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea.* Sed attende, quòd cor durum mala habebit in novissimo, & *qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. III.*

Considera tu quoque, quòd, licet foris mea sonet terribiliter increpatio, intus tamen jacet charitativa dilectio lenitatis. Et sicut tibi non debeo verbo aut ore parcere, sic etiam intendo bonâ voluntate te delinquentem & pia charitate corripere. Non quippe malis assentiendum est, ut approbentur. Sic etiam negligenda non sunt, ut non arguantur. Quarè *non putes me afflictionem velle afflicto addere*, neq; ignem gladio confovere. Non enim intendo recalcitrantem bis pungere, sive incredulum obruere, aut induratum confundere. Sed ut verius cognoscas, quanta charitate corripereris, quantâ dilectione reprehendereris, & qvam longâ piaque benignitate, ut resipisceres, hortabaris & adoptabaris, propositum thema duxi iterum resumendum, eisdem verbis, videlicet: *Exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis.*

Sacrum quippe præsens concilium exprobavit incredulitatem illorum perfidorum hominum, *Johannis Wicleff*, & *Johannis Huß*, & eorum seqvacium. Sic qvoqve exprobrat tuam incredulitatem & duritiam cordis. Tua qvidem *incredulitas* mala, qvæ hæreses nutrivit, atqve perfidiam. Sed multo pejor tua *cordis duritia*, qvæ tuam obstinationem ostendit & pertinaciam. Nam ex errore incredulus reprehenditur; sed ex cordis duritia hæreticus convincitur. Qvoniam qvi suam sententiam licet falsam nulla pertinaci obstinatione tuentur, se ipsos emendare parati,

parati, sunt neqvaqvam inter hæreticos computandi. Sed solum qvi majorum Patrum contemtâ sententiâ suorum errorum perfidiam contendunt toto posse defendere, parati magis mori, qvam corrigi, verba sunt *Augustini contra Faustum.* Nam ex dispositione nullus simpliciter nominatur, sed ex habitu perfecto. Unde non qvicunq; *incredulus*, sed solum qvi pertinaciter devius, *hæreticus* est. Qvoniam *error in ratione*, est hæreseos initium: Sed *pertinacia* & cordis duritia in voluntate, est hæreseos complementum. *Falli* qvippe *& fallere, humanæ est fragilitatis conditio.* Qvare vidimus, qvod, qvi, non dico meliori aut saniori, sed acutiori (*MSC. Br.* acriori) vigent ingenio, præ aliis desipiunt. Qvoniam nostrum ingenium de (in) sua natura non est otiosum. Et ideò, quando nescit tenere veritatis tramitem, in labyrinthum præcipitatur erroris. Nam *aliter sapere, quam res se habet, humana tentatio est. Sed nimis suam amare sententiam, sacrorum Patrum decreta contemnere, & usq; in hæreseos sacrilegium pervenire, diabolica præsumtio est*, inquit *Augustinus contra Donatistas.*

Sunt igitur *errores* simul & *increduli* exprobrandi. Sed magis cordis duritia condemnanda. *Vitia* siqvidem *transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit, & bonis nocet, qui malis parcit*, sic ait Moralis *Seneca.* Iniqvitas qvippe mortalium in nostri pernitiem more putredinis sine fine vagaret, si eam medicinalis correctio minimè resecaret. Nempè malum cum perseverat, augetur, & remediabile bonum est in peccato accelerata correctio.

Occurrendum est itaqve malis, occurrendum est scandalis, ne tractu temporis impunita malitia convalescat, & vires iniqvitati dissimulatio subministret; Sed debita correctio imperitiam doceat, & contumaciam atqve cordis duritiam severa disciplina compescat. *Manifesta sunt quidem crimina non occulta correctione purganda. Sed palàm arguendi sunt, qui publicè peccaverunt. Ut, dum aperta objurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est pro multorum salute, ut reus puniatur, quam quod per unius licentiam multi periclitentur*, inqviunt *Gregorius in Registro, & Isidorus, III. De Summo bono.*

Quamobrem sunt hæretici publicè exstirpandi, ne suis malis exemplis, falsa doctrina, & contagione pestifera plurimos perdant. Fide qvidem cordium mundatrice contemtâ, quid agunt increduli, intelligendo, quæ de natura nostræ mentis subtilissime disputantur, nisi, ut sua qvoqve intelligentia teste damnentur. Sunt enim nonnulli, ut inqvit *Gregorius*, qvi, dum plus exqvirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum humiliter discipuli esse veritatis negligunt, magistri errorum fiunt. Sicut igitur est *approbanda vera & docta simplicitas*: Sic *exprobranda est falsitas accuratè composita*, quæ hominem suis erroribus illicit, & per lingvæ ornamenta laqveos deceptionis expandit.

Et licet qvisque incredulus sit pro sua perfidia meritò exprobrandus: Interest tamen multum, *in quibus rebus & quantum erretur*, & quam facilè se quisqve corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Incredulitas, ubi correctionem suscipit, meretur veniam. Sed duritia & pertinacia non nisi finali exterminatione plectenda est. Nemo igitur obduratus & contumax de suo corde præsumat, nemo de sua inani phantasia confidat. Adversaria namque est duritia, quæ vitam suam pro certo commendat: Et lubrica spes, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare: Et impossibilis est salvatio, flammis circumdari & non ardere.

Nimium itaqve *præceps* sui est, qvi contendit intrare, ubi viderit alios cecidisse: Et vehementer *infrenis*, cui non incutitur timor, alio pereunte. Culpa cum defenditur, geminatur. Et peccatum peccato adjicit, qui mala gesta inverecunde pertinaciterque defendit. Detestanda igitur est cordis duritia, & præci-

præcipuè illa, quæ nec compunctione sanatur, nec pietate mollitur, nec precibus commovetur, quæ minis non cedit, & flagellis amplius induratur. Unde est inexcusabiliter criminalis, qvando remedium pœnitentiæ non admittit, & contentũ superbiæ non evomit.

Duo sunt quidem, qvæ in erroribus hominum difficillimè tolerantur: *Præsumtio*, anteqvam veritas pateat, & cum patuerit, *præsumta defensio falsitatis*. Sicut enim incredulitas ex superbia nascitur, sic etiam cordis duritia ex propria præsumtione nutritur. Nullus quidem *præsumtuosus* culpam suam confitebitur, (MSC. Br. fatetur) quia se culpabilem non existimat. Quod tamen si omnino viderit, argui aut deliqvisse putari, minimè patitur. Damnatissima est igitur præsumtuosa superbia, & superba præsumtio, qvæ, ubi nulla veritas est, sibi cupit fictam justitiam arrogari, & de propria non desinit scientia superbire.

Hieronyme, timeo quod ista talisq; præsumtio & existimatio, qvam tu tibi fingis de te ipso, sit totius tuæ causa ruinæ. Hic latet tuũ præcipitium. Hic est tuus labyrinthus errorum. Hæc tux obstinatio paravit interitum. Licet enim sciolus sis, & didascalus fueris, tua tamen, ut mihi apparet, nimium præsumtione deceptus. Error enim tuus errori gradum multifariam præparavit.

Deliberavi, *Hieronyme*, te utraqve fronte percutere, semper tamen cum debita charitate, qvæ dum vulnerat, sanat, & dum pungit, lenit. Quare non præbeas mihi faciem tuam ut petram durissimam. Sed potius, juxta evangelicum (M. B. Ecclesiasticũ) documentum: *Siquis percussit te in unam maxillam, præbe illi & alteram.* Percutiam igitur te, & utimam sanem. Debuisses qvidem emolliri ex recordatione criminum commissorum, aut visa tantâ benignitate tuorum judicum.

Primò quidem projicio stercus non alienum super faciem tuam, sed tuum proprium, ut tua possis ad tui emendationem crimina intueri. Quibus utinam posset tanta tua duritia emolliri.

Attendite, quæso, *Catholici Domini*, quanta fuit horum virorum, scilicet *Johannis Huß & Hieronymi*, præsumpta temeritas. Ut homines viles, plebeji, infimi, ortuque ignoti, auderent nobile regnum Bohemiæ totum concutere, Barones & Principes ad lites & dissensiones incitare, milites provocare, regimina antiqua & utilia immutare, convocare cohortes, dividere populos, inter cives dissensiones maximas commovere, catervas ducere, satellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare, vel procurare, spoliare ecclesias, & altaria profanare. O beatum regnum Bohemiæ, si natus non fuisset homo ille! Valdè qvippe detestandum est, qvod *homines ecclesiastici*, sub cujusdam prætextu sanctitatis, qvi deberent Deo vacare, die noctuqve precibus insistere, pro peccatis populi, cujus bona commedunt, orare, tempus suum orationi impendere, *non verentur Regum & Principum curias infestare*, lites commovere, decreta regnorum velle pro libitu immutare, litibus insudare.

O qvanti mali fuit radix, *horum duorum rusticorum* præsumtio. Ex qva qvot sunt utraqve parte occisi, & quot solennes clerici detrusi? qvot exilio relegati? quot violenter expulsi? qvot spoliati? quot verberibus cæsi? quot desolatæ ecclesiæ? quot profanata altaria? qvot destructa monasteria?

Et si, *Hieronyme, volebas malos persequi clericos*, cur bonos afflixisti? Qvæso te. Quia pridiè usus fuisti Jeremiæ exemplo, eodem & nunc velis uti & dicere: *Va mihi mater mea, cur genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra!* ut scribitur *Jerem. XV.* Non te pigeat meminisse, illorum sanctorum virorum *Cartusiensium de Praga*, qvorum *Priorem* trahi & monasterium spoliari, vos, in animarum vestrarum perniciem, procurastis.

In unam te percussi maxillam, præbe mihi & aliam, in qva benignitatem tuorum Dominorum judicum ut perpendas attende. Sciunt aliqui, si non omnes, debeo scire & ego, rigorem & modum, qvi circa hæreticos vehementer de hæresi diffamatos debet breviter observari. Nam debent diligenter inquiri

quiri & capi, ac forti carcere mancipari. Debent contra eos articuli recipi, & testes quicunque contra eos admitti, etiamsi sint infames, ut usurarii, ribaldi, aut publicæ meretrices. Debent de veritate dicenda juramento astringi. Qvam si præfati hæretici dicere contemserint, debent aculeo (eqvuleo) torqueri, & variis tormentis extendi. Nec debent aliqui ad eos, nisi magnæ necessitatis causa, intromitti. Non debent qvoque publicè audiri. Si resipuerint, debet eis misericorditer venia impendi. Si autem pertinaces extiterint, debent condemnari, & tradi brachio seculari.

Certè non isto rigore tecum actum est, licet fueris de hæresibus permaximè diffamatus. Quia non tantum Arrius, non Sabellius, non Faustus, non Nestorius, non quisquam alius fuerit hæreticus in vita sua tantum, quantum tu, diffamatus. Quia in Anglia, in tota Bohemia, in Francia, in Ungaria, in Polonia, in Lituania, in Russia, in Italia, & in tota Alemannia, de hæresi tua pervolavit infamia. *Fuisti captus*, ut debent similes, *ad conciliumque deductus*, & sola necessitate urgente, *reclusus*. Super qua reclusione reverendissimi Domini mei *Cardinales, de Ursinis, Aquilegiensis, Cameracensis, Florentinus*, personaliter qvæsierunt, si posses alio magis loco commodo collocari. Et, si tuam fugam non fuissent veriti, quia sæpius fugeras, nedum in eorum domo, sed mensâ & camera, te unusquisque eorum benevolè pertractâsset.

Contra te non fuerunt, nisi probi testes admissi, utputa S. Theol. Magistri, sacri Canonis Doctores, Baccalaurei quoque quàm plurimi, solennium ecclesiarum Curati, & omnes alii venerabiles viri, qui coram te jurarunt, & quorum neminem reprobasti. Articuli quoque contra te adducti fuerunt pro maxima parte de veritate probati.

Tortus (coactus) *non fuisti*. Et utinam fuisses. Quia vel sic humiliatus omnes errores tuos penitus evomuisses. Pœna illa tuos aperuisset oculos, quos culpa præcluserat.

Ad te etiam *quicunque venire voluerunt*, ad tui consolationem fuere *intromissi*. Recogita, quàm benigne, quam dulciter Reverendissimi Domini Cardinales, quam plures alii te fuerint exhortati, & tibi ex corde compassi. Ut velles resipiscere, quoties supplicarunt?

Audientia quoque *publica* pluries tibi ad tui *concessa* est libitum. Quam utinam non habuisses! Timeo namque, ne illa audientia tibi nimiam præstiterit audaciam.

Sex enim *incommoda* tibi per te in illa audientia irrogata sunt. *Primùm*, quia omnium te piè excusare volentium ora obstruxisti, *qui, quadam pietate commoti, ut de defenderent, te delirum, amentem, stultum, sive insanum dicebant*. Sed, quæso, quis te insanum aut delirum diceret, nisi esset delirus? Hominem sic ornatè orantem & accuratè dicentem? Oportet amplius, ut hi tui excusatores sileant, & penitus conticescant. Qvia loquela tua manifestum te fecit.

Secundum incommodum tibi in tua irrogatum oratione fuit: Quia te seditiosum & homicidia procurasse minimè denegasti.

Tertium: Quia testes contra te deponentes per multas historias longaque exempla, mentitos fuisse, probare conabaris, quos tamen contra te veracissime dixisse, unico tuo testimonio comprobatum est.

Quartum fuit: Quia apparuit, ut nescires inter Logicam Rhetoricamque distingvere, cùm dixeris, dicta testium contra te demonstrativum argumentum minimè facere. Nescis quippe, quod demonstrationis genus aliud est in Logica, & aliud in Rhetorica. Logica quidem demonstrat per propositiones immediatas & Syllogismum expositorium. Rhetorica verò monstrat per laudes & vituperia. Aliter namque demonstrat Physicus, Naturalis, & aliter Ethicus & Moralis. Unde Legista, Canonicus vel civilis, non demonstrat nisi per allegata & probata. Itaque contra te demonstrant per allegata legitima, & probata de veritate sufficientissima. Rogo te, quis magis contra te potest demonstrare, quàm tu ipse contra te & adversum temet demonstrasti?

Tu

Tu solus tibi inimicus existis, tu solus tibi adversarius, tu solus magis tibi contrarius. Omnes nos tibi compatimur, tu solus tibi crudelis penitus comprobaris. Omnes tibi pii assistunt; at tu solus tibi ipsi inimicaris.

Quintum fuit: Quia *Johannem Huß*, quem prius tuo testimonio ac juramento anathematizaveras, postmodum laudare non fuisti veritus. Quæso te, quâ fronte, qua audacia, qua quoque inverecundia potuisti attollere virum seditiosum, hæreticum, & homicidia procurantem?

Memini, te aliquando dixisse, illum non fuisse ebriosum, vel fornicarium. Sed quid prodest, Reverendissimi Dni, vinum non bibere, & ira, odio, superbia, & contentione inebriari? Quid prodest jejunare visceribus, & luxuriare venatibus? Abstinere à cibis, & errare peccatis? 86. *dist.* 12. *Quid prodest.* Quid est vinum servare, & sangvinem effundere non vereri? Aut quid est, non inebriari vino, & dentibus detractionum sangvinem spargere, & proximorum carnem immaniter (inhumaniter) laniare, & incessabili (ineffabili) persecutione interimere.

Dixisti, illum non fornicarium. Utinam dixisses non hæreticum. Nulla enim major fornicatio, quàm illa, quâ hic fuit catholica fornicatus à fide.

Sed *ultimò* in hac publica audientia temetipsum tuo proprio testimonio condemnasti. Utinam siluisses! quæ namque contra te major potuit esse auctoritas, quàm ea, qua te mendacem, perjurum, imò pejerantem & hæreticum relapsum esse affirmas, revocas quæ sanctè jurasti, & in fortiorem & pejorem recidivasti errorem.

Quamobrem *sacrum præsens concilium*, cui in terra est collatum omne judicium, *judicabit te juxta vias tuas. Ezechiel. VII.* licet, qui non credit jam judicatus sit, ut scribitur *Joh. III.* In judicando, sive in corripiendo, ut testatur *Seneca De Clementia ad Neronem*, hæc tria lex secuta est, quæ quilibet princeps aut judex sequi debet: Ut aut eum, quem punit, emendet, aut pœna ejus ceteros meliores reddat, aut ut sublatis malis securiores ceteri vivant.

Quamobrem *hæc sancta synodus* de te nunc intendit sumere judicium. Et utinam resipisceres, & duritiam tui cordis infringeres. Judicabit itaque te secundum recti judicii æquitatem & sacrorum Canonum sanctiones. Et licet, quod absit, converti nolueris, tamen sic debet utique judicare, ut convertat incredulos ad prudentiam, i. e. ad sanctam scientiam fidei parare Domino plebem perfectam. Quod eidem sancto concilio concedere dignetur feliciter vivorum & mortuorum judex justissimus, Jesus Christus, benedictus in secula seculorum. Amen.

Collatio facta per Magistrum Jacobum, Laudensem Episcopum & Apostolici Palatii magistrum, super condemnatione Hieronymi de Praga, hæretici, in Concilio Constantiensi M CCCC XVI. die XXX. Maji.

CAP. II.

Supplicium Hieronymi Pragensis spectaculum fuisse non deplorandum magis quam admirandum, cum stupore referunt omnes illius ætatis scriptores vivique spectatores, nullo in Hieronymum affectu moti, nisi quod tam forte pectus servari inque suis castris vivere optarent. Nostrum non est, oris aperti pectorisque infracti lineas in Hieronymo, coram judicio æque ac inter ardentium lignorum strues collocato, ducere. Præstitere id abunde *Theodoricus Vrie, in Hist. Concilii Const.* supra *Tomo I. Parte I. f.* 201. *& Poggius Florentinus*, Orator Concilii florentissimus. Cujus orationem *piam parentationem* dixisses, nisi constaret, non amore in Hieronymum, sed animositatis & constantiæ admiratione virtutisque heroicæ in diro mortis genere proditæ veneratione motum, scripsisse Florentinum, magnum illius ætatis Oratorem ac Philosophum.

POGGII FLORENTINI
Oratoris in Constantiensi Concilio inclyti
EPISTOLA
ad LEONARDUM ARETINUM
De admirabili animi præsentia in Hieronymo Pragensi coram judicio & in busto.
Ex MSCto LIPSIENSI.

Poggius plurimam salutem dicit Leonardo Aretino.

CUm pluribus diebus ad balnea fuissem, scripsi ad Nicolaum nostrum ex balneis ipsis Epistolam, qvam existimo te lecturum. Deinde, cum *Constantiam* revertissem, paucis post diebus, cœpta est agi *causa Hieronymi*, quem hæreticum ferunt, & quidem publice. Hanc tibi recensere orationem institui, cum propter rei gravitatem, tum maxime propter *eloquentiam* hominis ac *doctrinam*. Fateor, me neminem unquam vidisse, qui *in causa dicenda*, præsertim *capitis*, magis accederet ad *facundiam priscorum*, quos tanto tempore (tantopere) admiramur. Mirum est vidisse, quibus verbis, qua facundia, quibus argumentis, quo vultu, qvo ore, qva fiducia responderit adversariis, ac demum causam perorarit. Ut dolendum sit, tam nobile ingenium, tamque excellens, ad illa hæresis studia divertisse. Prouti tamen vera sunt, quæ sibi objiciuntur. Neque enim mei interest, tantam rem dijudicare. Acquiesco enim eorum sententiis, qui sapientiores habentur. Neq; tamen existimato, me in morem Oratorum sigillatim causam referre. Longum qvidem illud esset, & multorum dierum opus. Pertingam qvosdam illustriores locos, quibus tantum viri doctrinam possis conspicere.

Cum multa in hunc *Hieronymum* congesta essent, quibus arguebatur hæreticus, atq; ea testibus firmata: Tandem placuit, ut singulis, quæ sibi objiciebantur, responderet. Ita in concionem deductus cum juberetur ad illa respondere, maledictis adversariorum diutius respondere recusavit: Asserens, se prius causam suam agere, quàm maledictis illorum respondere. Itaqve pro se prius dicentem se audiendum asserebat, tum ad æmulorum suorum probra in eum congesta deveniendum.

Sed cum hæc auditio (conditio) sibi denegaretur, tum stans in medio concionis, *Quanam est hæc iniquitas*, inquit, *ut cum GCC LX.* (340.) *diebus, quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squalore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adversarios, atq; obtrectatores meos semper audieritis, me unam horam audire nolitis. Hinc est, ut, cum singulorum aures patuerint, atq; in tam longo tempore vobis persvaserint, me hæreticum, hostem fidei, Ecclesiasticorum persecutorem, mihi autem defendendi nulla facultas detur: Vos prius mentibus vestris me improbum hominem judicaveritis, quam qui forem potueritis cognoscere. Atqui*, inqvit, *homines estis, non dii. Non perpetui, sed mortales. Labi, errare, falli, decipi, seduci potestis. Hic mundi lumina, hic orbis terrarum prudentiores esse dicuntur. Maxime vos decet eloborare, ne quid temere, ne quid inconsulte, aut quid præter justitiam faciatis. Equidem ego homuncio sum, cujus de capite agitur. Nec pro me loquor, qui mortalis. Verùm indignum videtur, sapientiam tot virorum adversum me aliquid statuere præter æquitatem, non tantum re quantum exemplo nocituram.*

Hæc & multa præterea ornate disserebat in strepitu & murmure plurimorum sermonem ejus interpellantium.

Tandem decretum est, ut ad errores, qui in eum conferebantur, publice responderet, deinde loquendi quæ vellet facultas daretur. Legebantur ergo ex pulpito singula capita accusationis. Tum rogabatur, an quid vellet objicere, & deinde testimoniis confirmabantur.

In-

IOHANN. FRANCISC, POGGIUS,
FLORENTINUS, HISTORICUS, SECRETA-
RIUS PONTIFICIS, PHILOLOGUS ET
ORATOR INSIGNIS IN CONCILIO
CONSTANTIENSI.



Incredibile est dictu, quam callide responderet, quibus se tueretur argumentis. Nihil enim protulit indignum bono viro. Et si id in fide sentiebat qvod verbis profitebatur, nulla in eum, nedum mortis, causa inveniri justa potuisset, sed nec qvidem licuisset levissimæ offensionis. Omnia falsa tunc esse dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis suis.

Inter cætera cum recitaretur, illum sedis Apostolicæ detractorem, oppugnatorem Romani Pontificis, Cardinalium hostem, persecutorem Prælatorum & cleri, Christianæ religionis inimicum: Tunc surgens, qverebunda voce, & manibus erectis inquit: *Quo nunc me vertam? Patres conscripti, quorum auxilium implorem? Quos deprecer? Quos obsecrer? Vos ne? At isti, persecutores mei, vestras mentes a mea salute alienaverunt, cum universorum hostem me esse dixerint eorum, qui judicaturi sunt. Nempe arbitrati sunt, si ea, quæ in me confinxerunt, levia viderentur, tamen vos vestris sententiis oppressuros cummunem omnium hostem atq; oppugnatorem, qualem me isti falsissime sunt mentiti. Ita si eorum verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum sit.* Multos salibus perstrinxit, multos lædoriis: Multos persæpe in re mœsta ridere coëgit, jocando in illorum objurgationes.

Cum rogaretur, qvid sentiret de Sacramento, inquit, *Antea, panem, in consecratione & postea, verum corpus, & reliqua secundum fidem.* Tum qvidam: Atqui ajunt te dixisse, post consecrationem remanere panem. Respondit: *Apud pistorem remanet panis.* Cuidam ex Ordine Prædicatorum acrius invehenti, *Tace*, inquit, *Hypocrita.* Alteri, conscientiam juranti, *Hæc*, inquit, *tutissima via est ad fallendum.* Quendam præcipuum adversarium, nunqvum nisi *canem* aut *asinum* appellavit.

Cum vero propter criminum multitudinem ac pondus, res eo die transigi nequiret, in diem tertium est dilata. Quo die cum singulorum criminum argumenta recitata essent, ac subinde plurimis testibus confirmarentur, tum surgens: *Quoniam*, inquit, *adversarios meos tam diligenter audistis, consequens est, ut me quoque dicentem æquis animis audiatis.*

Data tandem, licet multis perstrepentibus, dicendi facultate: Hic primum à Deo exorsus est. Eum deprecans rogabat, eam mentem sibi dari, eamque dicendi facultatem, quæ in commodum & salutem animæ suæ verteretur. Deinde, *Scio*, inquit, *Viri doctissimi, plures fuisse excellentes viros indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, iniquis judiciis condemnatos.* Incipiens autem à *Socrate*, illum injuste à suis damnatum esse retulit, neque, cum posset, evadere voluisse: Ut duorum, quæ hominibus asperrima videntur, *metum* demeret, *carceris & mortis.* Tum *Platonis* captivitatem, *Anaxagoræ* fugam, ac *Zenonis* tormentum: Multorum præterea gentilium iniquas damnationes, *Rutilii* exilium, *Boëtii* simul & aliorum, quos Boëtius refert, indignam mortem commemoravit.

Deinde ad *Hebræorum* exempla transivit. Et primum *Mosen*, illum liberatorem populi & legislatorem, à suis sæpe calumniatum esse dixit, tanquam seductor esset, aut contemptor populi. *Joseph* insuper à fratribus venditum ob invidiam, (post ob stupri suspicionem invincula conjectum,) præter hos *Esaiam*, *Danielem*, & ferme *Prophetas* omnes, tanquam contemptores Deorum, tanquam seditiosos, iniquis circumventos sententiis. Hic & *Susannæ* judicium multorumque præterea, qui cum viri sanctissimi extitissent, injustis tamen judiciis perierunt. Postea, ad *Johannem Baptistam*, deinde ad *Salvatorem* nostrum descendens, falsis testibus, falsis judiciis, condemnatos, inquit omnibus constare. Deinde *Stephanum*, à Sacerdotum Collegio interfectum, *Apostolos* autem omnes morti damnatos, non tanquam bonos, sed ut seditiosos populorum concitatores, contemptores deorum, & malorum operum effectores. *Iniqvum* esse, injuste damnari sacerdotem a sacerdote. At id factum esse docuit. *Iniquius* à sacerdotum collegio: Id quoque exemplo probavit. *Iniquissimum* vero à Concilio Sacerdotum

tum. Id etiam accidisse monstravit. Hæc diserte & magna cum expectatione disseruit.

At omne cum pondus causæ *in testibus* situm esset, multis rationibus docuit, *nullam his testibus fidem adhibendam*, præsertim cum non ex veritate, sed ex *odio*, ac *malevolentia & invidia* omnia dixissent. Tum *odii causas* ita explicavit, ut haud procul fuerit à persvadendo. Ita enim erant verisimiles, ut excepta sola fidei causa, parva illis fides testimoniis adhibita esset. Commoverat omnium mentes, & ad misericordiam flectebantur. Addiderat enim, se sponte ad Concilium venisse, ad se purgandum. Vitam suam & studia exposuerat officii plena & virtutis. Dixerat, hunc morem priscis atque doctissimis viris fuisse, ut in rebus fidei invicem sententiis discreparent, non ad pessundandum fidem, sed ad veritatem fidei aperiendam. Ita Augustinum & Hieronymum dissensisse asseruit, & non solùm diversa sensisse, sed & contraria, nulla hæreseos suspicione.

Expectabant omnes, ut vel se purgaret, retractando objecta, vel erratorum veniam postularet. At ille, neque se errasse asseverans, neque se retractare aliorum falsa crimina velle, ostendens: Tandem *descendit in laudationem Joannis Huß*, dudum ad ignem damnati, virum illum bonum, justum & sanctum appellans, & illa morte indignum: Se quoque paratum, quodvis supplicium subire forti animo atque constanti, seque inimicis suis cedere, & testibus illis tam impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere non potuerint, essent rationem eorum quæ dixissent reddituri. Magnus erat circumstantium dolor animi. Cupiebant enim virum tam egregium salvari, si bona mens fuisset. Ille autem sua in sententia perseverans, ultro mortem appetere videbatur. Laudansque Joannem Huss, ait: *Nihil illum adversus Ecclesiæ Dei statum sensisse, sed adversus abusus Clericorum, adversus superbiam, fastum, ac pompam Prælatorum. Nam, cum Patrimonia Ecclesiarum primum deberentur pauperibus & advenis, ac demum fabricis, indignum illi bono viro videri, dispendi illa meretricibus, conviviis, equorum copiæ, aut canum saginæ, cultui vestimentorum, & aliis rebus indignis religione Christi.*

Hic autem maximi ingenii fuit. Cum interrrumperetur sæpius oratio sua variisque rumoribus lacesseretur à nonnullis, ejus sententias captantibus, *neminem eorum intactum reliquit*, pariterq; omnes ulciscens, vel erubescere coëgit, vel tacere. Surgente murmure silebat, turbam quandoque increpans. Postea orationem replicans iterum atque iterum persequebatur, orans atque obtestans, ut eum loqui paterentur, cum se non essent amplius audituri. Nunquam ad hos rumores expavit, mente firma atque intrepida.

Illud vero admirabile *memoriæ* argumentum. CCC XI. diebus fuerat in fundo *turris fœtidæ atq; obscuræ*, cujus asperitatem ipsemet conquestus est, asserens, se, ut fortem hominem decet, non propterea ingemiscere, quod sic indigna perpessus esset, sed mirari hominum adversus se inhumanitatem. Quo in loco, nedum legendi, sed nec dum videndi quidem ullam habuit facultatem. Mitto *anxietatem mentis*, quâ oportuit illum quotidie agitari, quæ omnem memoriam excutere debuisset. Tot doctissimos atque sapientissimos viros, in testes suarum opionum allegavit, tot Doctores Ecclesiasticos in medium protulit in sententiam suam: Ut satis superque satis fuisset, si toto hoc tempore, summo in otio, summa in quiete, sapientiæ studiis operam dedisset. Vox ejus svavis, aperta, resonans erat, quadam cum dignitate, gestus oratoris, vel ad indignationem exprimendam, vel ad commovendam miserationem, quam tamen neqve postulabat, neque consequi cupiebat. Stabat impavidus, intrepidus, mortem non contemnens solùm, sed etiam appetens, ut alterum *Catonem* dixisses. O virum dignum memoria hominum sempiterna. Non laudo, si quid adversus instituta Ecclesiæ sentiebat. Doctrinam admiror, rerum plurimarum scientiam, eloquentiam, & argutiam respondendi. Sed vereor, ne omnia in pestem

suam

suam sibi fuerint à natura concessa.

Datum deinde *spatium pœnitendi* biduo. Interim multi ad illum accessere viri eruditissimi, ut ipsũ à sententia sua dimoverent. Inter quos *Cardinalis Florentinus* eum adiit, ut ipsum flecteret ad rectam viam. Sed cum pertinacius in erroribus perseveraret, *per concilium hæreseos damnatus est & igni combustus. Jucundâ fronte*, & hilari vultu, ac facie alacri ad exitum suum accessit. Non ignem expavit, non tormenti genus, non mortem, nullus unqvam Stoicorum fuit tam constanti animo tamque forti mortem perpressus, quam appetisse videretur.

Cum venisset ad *locum mortis*, se ipsum exuit vestimentis. Tum procumbens, flexis genubus, *veneratus est palum*, ad quem ligatus fuit. (Primum funibus madentibus cum catena, nudus ad palum constrictus fuit) Deinde circumposita ligna pectus tenus, non minuscula, sed grossa, paleis interjectis. Tum flamma adhibitâ, *canere cœpit hymnum*, qvem fumus & ignis interrupit. (Hoc maximum constantis animi signum, cum lictor ignem post tergum, ne id videret, injicere vellet: Huc, inqvit, accede, & in conspectu accende ignem. Si enim illum timuissem, nunqvam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem.)

Hoc modo vir *præter fidem egregius* consumptus est. Vidi hunc exitum, singulos actus inspexi. Sive perfidia sive pertinacia hoc egerit, certe *ex Philosophiæ schola* virum interemtũ esse descripsisses. Longam tibi cantilenam narravi, otii causa. Nihil enim agens aliquid agere volui & res tibi narrare paululum similes historiis priscorum. Nam neque *Mutius* ille tam fidenti animo passus est membrum uri, quam iste universum corpus. Neque *Socratis* tam sponte venenum bibit, quàm iste ignem suscepit. Sed hæc satis. Parce verbis meis, si longior sui. Res tamen ipsa ampliorem narrationem poscebat. Sed nolui esse nimium loquax. Vale mi jucundissime Leonarde. Ex Constantia, III. Kl. Junii, quo die Hieronymus pœnas luit. Iterum vale, meq; dilige.

TOMI III. PARS VI.

DE ERRORIBUS CALENDARIORUM ECCLESIASTICORUM.

NOn cum extinctis Husso & Hieronymo extinctæ omnes disputationes de rebus Ecclesiæ. Ut taceamus motus diros longosque, extra Concilium à Bohemis in seros annos protractos, in Concilio aliæ semper aliæque controversiæ Ecclesiasticæ in scenam productæ, quæ ad examen revocarentur.

In his locum habet quæstio *de Callendarii Ecclesiastici erroribus, illiusque emendatione.* Tractaverat hoc negotium Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis, proxime ante Constantiense Concilium, Anno 1411. Eaque de re compositum opusculum, A. 1412. Romæ in Concilio generali, à Johanne 13. convocato, licet non admodum diuturno, memorato Pontifici obtulit. In quo Concilio Johannes hoc Cardinalis institutum laudavit, ast publicationem ejus distulit ad finem usque schismatis inter tres Pontifices tunc existentes. Quod utrumque peculiari edito diplomate roboravit.

Postquam igitur in proximo Constantiensi Concilio res eo devenerat tandem, ut tres Pontifices essent sede moti, Johannes æque ac Gregorius & Benedictus, Cardinalis superius suum negotium resuscitandum ac Concilio præsenti proponendum autumavit, prælectis publicè in templo coram Concilio omnibus illis Actis, circa hoc Emendationis negotium ante paucos annos

sub